POLONIA

DE TVRCIS AD CHOCIMVM TRIVMPHANS,

ET IN NVPERA REGIS ELECTIONE FORTVNATA.



BVRDIGALÆ,
Apud IACOBVM MONGIRONEM - MILLANGIUM
Regis & Collegij Typographum.

M. DC. LXXV.

Cum Approbatione & Permissu.





AUGUSTISSIMO POLONORUM REGI

IOANNI SOBIESKIO,

TURCARUM VICTORI INCLYTO;

Perpetuam cum victoriâ felicitatem.

EX AVGVSTISSIME,

TVAM ad Majestatem venerabundus iterum accedit idem ex longinquo vates, ut Poëma de insigni tuâ ad Chocimum victoriâ, tibi primùm ut Magno Regni Polonici Polemarcho inscriptum, rursus ut Regi, impleto jam felici augurio, lætior offerat;

& velut votivum anathema, tuæ di-scámne felicitatis, an virtutis, aut utriusque simul, tholo appendat. Continuit se hactenus intra Regni Gallici fines lucubratio illa, ne præpropero ambitu, Electorum suffragia anteoccupare velle videretur. Quamvìs de eventu minimé dubia, cujus ut pote vaticinatio, meriti tui, toti EUROPÆ spectatissimi necnon suffragatorum æquitatis ac sinceræ erga Patriam fidei certâ notitiâ niteretur; tamen nec partium offensionem aut invidiam, nec cujusquam minùs providi reprehensionem subire, suspenso adhuc exitu, debuit. Nunc quando faustè, quod est prænuntiatum, evênit, ea potest, non modò cum fiduciâ, sed etiam cum spe aliquâ publici favoris, apparere. Antea siquid illi inerat gratiæ ac venustatis, totum affundebat tuæ splendor victoriæ, résque in prælio contra Turcas patratæ, miraculo proximæ. Iam verò eidem longè maxima facta est pulchritudinis accessio ex condigno illo tuæ virtutis

& victoriæ præmio, Regali nimirum Diademate, quod tibi citra ambitum, incredibili propemodùm, certè inexpectato, partium omnium & ordinum consensu, atque unanimi tam vasti imperij applausu delatum audivimus; & quidem majorine admiratione, an gaudio, non est facile dijudicare. Verùm licèt ad omnes Gallos, Regis ac Patriæ verè amantes, communiter pertineat ex tam fausto Polonicorum Comitiorum successu lætitiâ: Mihi nihilominùs propria quędam gestiendi caussa est, meæque Musæ gratulandi, quòd usque adeò feliciter augurandi munere sit perfuncta; si tamen augurium illud debeat appellari potiùs, quàm exacta ad justi amussim ratiocinij conjectura. Ita sanè est, VICTOR AVGVSTE, quicquid meo in Poëmate de futurâ tuâ in Regem Polonorum electione, tam asseveranter pronuntiavi, non ut Poëta, hoc est fingendi artifex, ingeniosus quidem ille, sed non rarò mendax, quàm ut Philosophus, aut Theo-

logus, cujus utriusque nomen, & munus, quo plures jam annos utcunque defunctus sum, mihi malim arrogare, quàm Poëtæ. Ille enim, non figmentis est intentus; sed æquus rerum æstimator, de uniuscujusque & merito, & officio decernit. Porro quid tuus in Patriam ex Turcarum oppugnatione, & intestinis discordijs periclitantem, amor, tot jam experimentis comprobatus; quid animi fortitudo, moderatio, prudentia, religio, rei militaris longo usu parta scientia; quid demum infiniti in bellis gerendis exantlati à Te labores, nec pauciora tot in prælijs suscepta vitæ discrimina mererentur, nemini, rerum sui temporis non prorsus ignaro, ignotum esse poterat, vel obscurum. Nec minùs aliunde toti Europæ jam dudum explorata Polonorum ac Lithuanorum Procerum virtus & mens excelsa, suadebat, in deligendo Rege, qui fluctuantem Reip. navim tam periculosâ tempestate, ut par est, gubernare & posset, &

vellet, non tam partium studia ab ijs spectatum iri, quàm meritum, dotésque tum corporis, tum animi, tanto dignas fastigio. Vnde nec difficilis admodum, nec anceps viro, utcunque sagaci, conjectatio extitit, Te unum, in quem omnia illa præ cæteris confluxissent, reliquis omnibus fore anteferendum. Id verò ita ex re, votóque factum, debui Tibi, REX AVGVSTISSIME, totique Poloniæ gratulari. Nec in eo præstando qualicunque officio, prætermittenda fuit dignissima, primùm Thori, nunc etiam regalis Solij consors, Gallicæ ut pote Gentis decus, Polonæ delicium. Quòd si minus tanto culmini mea carmina responderint, quicquid sive splendori versuum defuerit, sive concinnitati, abundè suppleret Autoris voluntas, si tuæ Majestati perinde posset patere.

Equidem ingentis gratiæ vice, vel etiam mercedis pro hâc opellâ meâ, reputavero, si persuasum ipsi fuerit, mihi in tanto licèt locorum intervallo,

non minùs altum inhærere grati animi ſenſum, pro tot, tàmque inſignibus benefactis, quibus noſtram Societatem in Poloniâ cumulavit, magiſq; auget in dies, quàm his ipſis, qui & eorum lætantur fructu, & dulci ſubditorum tuorum nomine gloriantur. Vale, REX AVGVSTISSIME, diùque potire imperio, quod tua tibi virtus promeruit, Deus Opt. Max. in bonum totius Reip. Chriſtianæ contulit. Ita ex intimo corde optat, & vovet

MAIESTATI TVÆ

Devotiſſimus
IOANNES PERIGAVD, S.I.



POLONORVM
DE TVRCIS VICTORIA
AD CHOCIMVM RELATA
III. IDUS NOVEMBR. AN. M. DC. LXXIII

POEMA.

SVME tubam, & cantu, bellatrix Musa, sonoro
Deletas Otomannûm acies, victriciáque arma
Christiadum, & clari bello, atque insignibus ausis
Sobjeskî mentem excelsam, celebrésque triumphos
Commemora, & totum latè diffunde per orbem.
Adsis ô tu Diue favens, quem sidera pridem
Ereptum terris, primævo in flore juventæ,
Suscepêre, brevis complexum finibus ævi
Sæclorum seriem longam, & virtutibus annos
Transgressum; ô Patriæ æternum columénq; decúsq;
Stanislaë, mihi vires, animúmque ministra,
Qui terrore hostes implesti, & robore cives
Bellonæ in campo, & medio in discrimine Martis.
Iam Rex Sauromatûm, fato præreptus accebo

Dux ipse ingentis belli dum tendit in hostes,
Clauserat extremam lucem, tristique ululatu
Castra sonant, passimque suis succinctus in armis
Incusat Parcam miles, quæ stamina præceps
Abscidit ante diem, & lugubri funere mersit
Visnovium * florentem ævo, & virtute virili,
Crudelis! spésque ingentes (miserabile dictu!)
Ferali, insultans sceptris, tumulavit in urnâ.

Nec mora; per populos, pernicibus incita pennis,
Nuntia fama volans, Regis lacrymabile lethum
Spargit, & ancipiti perturbat pectora motu.

Christicolæ, quos alma Fides devincit, amórque
Emissus cœlo, casum miserantur amici
Principis, ac mæstis singultibus æthera pulsant.
Præcipuè, clades propiùs quos tangit iniqua,
Sarmatici generosa soli, atque invicta propago
Ereptum sibi conqueritur Regémque, patrémque
Morte immaturâ, primóque in limine regni.

Infensi contrà Odrysij, gens babara, & exlex,
Lætitiâ fremere ingenti; spe jámque voraci
Sarmatiam rapere, & captas cum civibus urbes
Immiti ferro, celerí-ve absumere flammâ.

Qualis ubi, stimulante fame, effera turma luporum
Desertum Pastore gregem dum cernit, aperto
Ore inhians immanè, avidis & faucibus instans,
Innocui stragem extremam meditatur ovilis.

Intereà multâ insignis pietate † Pyrander,
Cui dudum Patriæque salus, & gloria cordi est,
Assiduis Divos precibus, votísque lacessit.

Christe, salus hominum, stirpis spes una Polonæ,

* Vviesnovisky Regis nuperrimè de mortui cognomen.

† Pyrander, nomen confictum viri, de Religionis, ac Patriæ incolumitate solliciti.

Quos toties victrice manu, dira agmina contra
Impurorum Arabum, Scythicæque examina terræ
Texisti, cæso statuens ex hoste tropæa;
Adspicis hæc? Nostró-ne oculos ex orbe reflectis
Iratus; nec te miseret prolísque, patrúmque?
Hi Te olim coluêre tamen; veneramur & ipsi
Numinis Vnigenam, rerum cui summa potestas
Sidereo super axe, imo & telluris in orbe.
Imperiosa, ferox, rebúsque elata secundis,
Gens inimica tibi, Mahumeti addicta scelesto;
Sempérne insultans famulis, Populóque fideli,
Deprædatrices aget in certamina turmas;
Et victrix, eheu! spolijs ditescet opimis
Christiadûm, victósque jugo submittet aheno?
Alme parens, solitum tandem bonus exere robur,
Et gentem fræna infidam; ne fortè nefanda
Obscæno ore furens, in te convitia jactet,
Déque tuis, téque ipso unà, scelerata triumphet.
En supplex, curvóque humilis te poplite adorat
Sauromata; heu quondam genus insuperabile bello!
At nunc discordes animos, & pectora motu,
Civili turbata diu, malè dum fovet, hosti
Præda patet, cernítque suas volitare per urbes
Impune, Odrysij vexilla atque arma tyranni;
Et Cruce dejectâ, templis imponere Lunam
Pollutis ritu infando. Dum talibus infit,
Educens imo suspiria corde Pyrander,
Confestim dolor offusâ caligine mentem
Obruit, atque viam voci intercludit anhelæ.
Audijt orantem Deus, & miseratus ab alto e...
Divóque Indigeti, Patriæ quem justa salutis
Cura urget, coram dum Majestate verendâ,
Ac solio affusus, multâ prece fervidus instat,
Sarmaticas mandat, confestim tendat in oras,

Cœlestique pium revelet sermone Pyrandrum,
Ingens pollicitus prostrato ex hoste tropæum.
Spondeat & Regem magno qui pectore, & armis
Tutetur Patriam, sævósque à limite Turcas
Arceat, & regni fines producat, adúsque
Byzanti muros, Otomannæ & cornua Lunæ
Conterat, & victor perterreat Hellespontum.
Excêpit mandata alacer, promptúsque facessit
Stanislaüs ovans. Superâ dein labitur arce,
Et natale solum petit. Huic comes Aliger adstat,
Sarmatici tutela olim cui credita regni;
Aliger armipotens, sublimi ex ordine Divûm,
Queis dominatrici Reges defendere dextrâ,
Et frænare datum est populos ad jussa Tonantis.
Continuò rutilum radijs ardescit, & auro,
Sidereóque halans flatu conclave Pyrandri
Splendet, & ambrosium latè diffundit odorem.
Olli mox ingens redit in præcordia virtus
Cœlituum diô attactu, pérque ima cucurrit
Ossa calor vegetus, ménsque unà, & reddita vox est.
Ast ubi conspicuum cœlesti in lumine vidit
Sarmaticum Heroa, & splendenti veste coruscum,
Ora, oculósque Deo similem, procumbit adorans
Cœlicolas ambo, Regis dum jussa supremi,
Pandunt attonito, & prænuntia visa futuri.
Ecce autem sese extemplò scena, horrida scena
Visa oculis aperire, piæ & spectacula menti
Objicere insueta, & placidos turbantia sensus.
Turcigenûm immanis strages, * campíque cruore
Barbarico latè undantes, & decolor amnis,
Tardior & volvens undas, dum gurgitis alveum.

* Quatuordecim Turcorum millia in castris cæsa; sex millia in flumine submersa.

Loricæ, galeæque, aggeſtáve corpora complent.
Aſt animos blandùm exhilarat Dux inclytus armis
Per medias volitans acies, & acinace ſtricto
Obvia quæque metens; ut primùm hoſtilia caſtra
Irrûpit. Vix, víxque metu ſe ſubripit amens
Huſſinus; * Scythicæ circum Prætoria robur
Militiæ jacet; at feſtivis vocibus æther
Chriſtiadum reſonat, grato dum pectore laudes
Ritè Deo exſolvunt, cujus ſic numine fauſto
Pugnatum, & celebri victoria parta triumpho eſt.
Ergo age,magnanimum confeſtim inviſe,Pyrander
Ductorem, Patriæ quo nunc ſubnixa ſalus ſtat,
Divus ait, juſſi & divini nuntius eſto:
Craſtina cùm primùm terris effulſerit Eos,
Educat turmas; ſtagnantem tranſmeet amnem;
Hoſtéſque invadens ſubitò, certamine fundat
Incluſos caſtris, ſpolijſque potitus opimis
Perſolvat Superis grates; ac juſta laborum
Præmia, Sarmaticæ ſperet decora alta Coronæ,
Regali adlectus ſolio; ſic Numine fixum.
Pugnanti ipſe adero,atque mihi comes additus Ales
Cœligena, hic Patriæ dudum qui præſidet oræ,
Tutatúrque hoſtes contra cœleſtibus armis.
Immittam Turcis horrorem, animóſque viriles
Indigenis; dextram Sobieskî, & tela clientûm
Ipſe regam, ut falſo Chriſtus de Vate triumphet.
Hæc fatus, ſubitò in tenues evanuit auras
Cùm ſocio Koſtka Aligero, tantíſque reliquit
Attonitum viſis, diô & ſermone Pyrandrum,
Prædulces cordi inſtillans cæleſtis amomi

* Huſſinus Turcorum Dux primarius, vulgo Baſſa, vix fugâ evaſit. Octo Ianizzarorum milia circa Præfecti tentorium internecione deleta ſunt.

Delicias, puróque illustrat lumine sensus.
Axem jam medium nigris emensa quadrigis
Luna, soporifero spargebat rore sepultos
Mortales somno, tacitisque insomnia pennis
Per gentes passim, tranquilláque castra volabant.
At multam postquàm noctem Mavortius Heros
Insomnem, curæ intentus, traduxit, & altâ
Mente agitans belli eventus, defessa quietem
Membra levat modicâ, duris effultus in armis,
Ac thorace super squamoso, & casside ahenâ.
Protinus ante oculos Patriæ mœrentis imago
Apparet. Passi, & laceri per colla capilli
Tristè jacent, peplúmque caput funebre revincit.
Palla fluit nigra ad plantas, viduata recenti
Ceu Sponso Regina dolens. Casimirus adhæret
Hinc lateri, atque illinc Michaël, heu funere juncti
Finitimo! mæsti ambo, exanguiáque ora ferentes.
Muta diu Matrona hæret, suspiriáque ægro
Pectore crebra trahens; tandem sic ora resolvit
Flebilis, ac voces singultibus interrumpit.
Lechiacæ decus eximium, & spes maxima Gentis.
Nosse tuæ potes heu! Matris, Fili inclyte, vultus?
Illa ego, sic quondam florens, intactáque turmis
Barbaricis, cæso toties quas agmine fûdi,
Hactenus & victrix; donec discordia prolem
Succendit face lucificâ, armavítque nefandis
In se odijs, quos alma Parens hoc fœdere nectit.
En lacera, ut cernis, sævóque oppressa dolore,
Rege orba augusto, diris data præda Gelonis,
Huc supplex venio. Afflictæ miserere Parentis,
Quæ Tibi se, sortémque ardet committere regni.
Ergo agè; & actutum propulsa finibus hostem
Vi cæsum validâ; civésque heu! clade perenni
Attritos relevans, decus immortale parato,

Illuſtrémque ad ſceptra viam tibi ſterne, tuíſque.
Ne dubita; cœptis junget ſe Numen amicum,
Ac primùm cinget victrici tempora Lauro,
Regalíque dein (ſic fas ſperare) coronâ.
Vix hæc audierat, cum ſomnum abrumpit, & ambas
Ad cœlum tollens Palmas Sobieskius, omnes
Devovet in caſus ſeſe, & diſcrimina belli,
Ritè Deum venerans, cœleſtiáque agmina Divûm;
Ante alios quem præcipuâ pietate colendum
Suſcepit pridem; vario ſibi nomine junctum
Koſtkiaden, clarum gentis decus. Haud mora; caſtris
Edicit, ſe quiſque viæ ſuccingat, & arma
Expediat, curétque ſibi placabile Numen.
Idem omnes ſacer ardor agit, miléſque, ducéſque
Prælia certatim prenſant, nec millia quamvìs
Plurima Turcigenûm metuunt: Nam Divus, & unà
Aliger æthereus, Cœleſtis ſemina flammæ
Inſpersêre animis taciti, pulchróque medullas
Succendêre æſtu; mox in diſcrimina mitti
Pro Patriâ ardeſcunt, & Relligione tuendâ.
Præcipuè poſtquàm diffuſus in agmina rumor
Nùntiat advêniſſe virum; qui Numinis aurâ
Afflatus, ſtragem hoſtilem, & ſpolia ampla Getarum
Spondeat admonitu ſuperûm, atque in prælia turmas
Imperet actutum educi trans littora Tyræ.
Continuò expanſis incedunt agmina ſignis
Ordine quæque ſuo, celeréſque per avia greſſus,
Et per plana ferunt, ſéque exhortantur in arma
Immanès contra Scythicos, gentémque ſceleſtam.
Sic ubi Getuli in Circum, Lybicíve leones
Educti caveâ, exſiliunt, jámque æquore aperto
Seu trigides contra, mirmillonúmve maniplos
Procedunt curſu rapido, pugnæque parant ſe;
Mox cervice jubam excutiunt, caudæque flagella

Ingeminant tunso lateri; rauco inde sonore
Terrificant hostes, irásque in pectore versant.
Ventum erat ad flumen, stagnantique arva meatu
Vndabant latè, cùm primus in agmine ductor
Magnanimus: si-queis, infit, vel Patria cordi est,
Christí-ve alma Fides, mox in discrimina mecum
Pulchra ruant, vitámque ausint pro laude pacisci,
Laude immortali, medijsque sequantur in undis.
Tantum effatus,& in rapidum mox fluminis alveum
Vrget equum fulgentem ostro, validóq; natatu
Tranat, & adversam evadit Sobieskus in oram.
Hortatu,exemplóq; Ducis læta agmina in amnem
Prosiliunt; placidò undà sinu substrata meantes
Excipit, & fremitu visa est applaudere blando.
Ceu quondam ductore Deo,& præeunte Columnâ,
Isacidæ, Pharij currus atque arma tyranni
Dum fugiunt mare per medium, hinc attollitur unda,
Atque illinc, murorum instar; campíque virentes
Apparent, balántque greges, ubi navita salsos
Sulcavit nuper fluctus, piscésque natarunt.
Postquám omnis tumidum, ut jussum est, exercitus
Trajecit, Vespérq; faces accendere cœlo [amnem
Incipit; extemplò edici Dux imperat omnes
Per turmas, fessos ut equos, & corpora curent,
Atque brevi laxent humentia membra quiete.
Ipse autem insignes usu, bellíque Ministros
Præcipuos, sua mox jubet in tentoria promptos
Acciri, atque aptum nunc isto in cardine rerum
Consilium exquirit; tum pectore digerit alto
Assultus, pugnæque modum; ac discrimina cuncta
Præcipere antè animo, &, qua fas, occurrere tendit.
Nec minùs ille tamen flagrantibus æthera votis,
Auxilium implorans, pulsat Numénque supremum,
Cœlicolásque omnes humili prece pronus adorat.

Intereà densis nox circumfusa tenebris
Latè operit terras, placido & labentia curru
Sidera conciliant somnos, defessáque mulcent
Membra virûm, & curis exercita corda diurnis.
At non Turcigenis requie, somnóque potiri
Concessum; vario trepidant nam cuncta tumultu,
Ex quo Sarmaticas fluvium tranasse phalanges
Nuntia certa ferunt, séque acri accingere pugnæ.
Campisne expediat turmas educere apertis,
Aut intra vallum pugnare, & castra tueri
Plaustrorum objectu, atque alto munimine septa,
Consultant; anceps agitat sententia mentes;
Incertásque diu nunc huc, nunc abripit illuc.
Qualis ubi medio fors deprensa æquore cymba,
Cymba levis, remo exili, contóve gubernans,
Quam piscator agit; validis surgentibus Euris,
Fluctuat, & dubio alternans atque incita motu,
Ventorum ad nutum fertur, titubátque per undas.
Terrorem ingeminant, quæ nocte insomnia mẽtes
Præteritâ pavidas visis turbasse feruntur
Horrificis, certa instantis præsagia cladis.
Visus enim volitare furens per castra Polonus
Victor ovans; visa & dirùm exhorrescere Luna
Sanguineis maculosa notis, insigniáque altè
Christiadum gemmis elata effulgere, & auro.
Nequicquam placare Deum, atq avertere monstra
Nititur insano ritu gens perfida, falsum
Voce vocans altâ Vatem, quem fûdit ab Orco
Rex Erebi dudùm, ut terras incestet, & undas.
Frustra & continuis pollutos sordibus artus,
Tartareis dignos flammis, sparsâ abluit undâ,
Obscænâ ipse flagrans, tetrâque libidine Mystes.
Non ita Sauromatæ, diò queis lumine fulget
Pura fides, pietásque sacris succensa medullas.

Ignibus; ut primùm cœlo illucefcere cœpit
Aurora, & croceo depingere lumine nubes,
Immortale adolent Sacrum, pafsimque Parenti
Æthereo veneranda litant libamina ad aras,
Infontem, impollutum Agnum, qui crimina gentis
Terrigenûm, morte immeritâ, fufóque piavit
Sanguine; nunc Erebi victor cœlo arduus alto,
Dextérque aſſiſtens Patri, tenet aurea fceptra,
Réfque hominum, nutu fummo, Divûmq; gubernat.
Dux etiam, miléfque, pij queis copia Myftæ eft,
Culparum abftergent maculas de more vetufto,
Séque reos ipfi incufant, veniámque precantes
Pectoribus tunfis, vinclo folvuntur ab omni,
Voce Sacerdotum, quibus eft conceſſa poteftas
Digna Deo; inde alacres, cupidíque in prælia furgũt.
His actis, capere arma jubet Polemarchus, & hoftes
Tendere in adverfos, caftris & mole latentes
Multiplici; magnífque animos hortatibus urget:
Inclyta Sarmatici foboles, fpéfque optima regni,
Optatum jam tempus adeft, quo quifque parentum
Sanguinéque, & factis fe dignum præftet, & almæ
Tutorem Fidei; Patriæque à finibus arcens
Prædonum infames turmas, inimicáque Christo
Agmina, profpiciat gnatis, fponfæque, focifque,
Atque Aris, quas heu! nuper gens effera, & excors
Polluit, everfáque Cruce, altis cornua Lunæ
Turribus impofuit templorum; ô dedecus ingens!
Æternam ô fæcli labem, noftróque piandam
Sanguine, vel meliùs Turcorum cæde latronum!
En illos caftris, ceu denſâ indagine claufos,
Offert ipfe Deus mactandos more ferarum,
Quas venatores agitant per luftra fugaces.
Victores præda ampla manet, memorabile nomen,
Servatæque decus Patriæ. Sin Rector Olympi

Iusserit insigni forsan procumbere letho
Pugnantes, inter cuneos, hostiliaque arma
Turcigenûm; nobis, Diô munita sigillo,
Prisca Fides spondet summo super ætheris axe
Vitam immortalem, præfulgentémque coronam,
Vis quam nulla dein rapiat, vel deterat ævum.
Ipse quidem hunc hodie campum, pugnàmq; subibo
Sorte pari; & victor, præclaro aut funere functus,
Me digna, & Patriâ, gnatis exempla relinquam.
Talibus incensi dictis, ac Numinis æstu,
Sarmatij certatim ad prælia jussa feruntur,
Spem læto & vultu signant; micat acribus ignis
Ex oculis, toto spirant & pectore Martem.
Ergo acies campo incedunt, vexilla sequutæ
Quæque sua, adversa & properant invadere castra,
Supremi quâ parte Ducis mandata vocarint.
Nec verò absterret quamvìs numerosior hostis
Magnanimos, fossæque undantes gurgite vasto;
Non agger latè eductus, valli-ve crepido
Ardua; non saltus condensis sentibus horrens,
Torrentúm-ve rapax fremitus, reboantiáve ore
Fammivomo horrendùm tormenta, & ahenea belli
Fulmina, inacessíque aditus; Quin nobilis ardor
Fervescit magis, atque ipso discrimine crescit.
Qualis fortè specu, & saxosis molibus ignis
Inclusus furit, atque viâ procumpere apertâ
Impete dum quærit magno, atri carceris antrum
Concutit, & superas victor se effundit ad auras.
Christicolûm generosa calent sic pectora flammis
Æthereis, Geticásque ardent invadere turmas
Objicibus ruptis vallorum, atque aggere denso.
Ruthenus * dextrum cornu tenet, agmina ducens

* Palatinus Russiæ dextro cornui præerat.

Prima Palatinus, cristis insignis, & ostro,
Ore decus gentis referens, & facta parentum
Belligera exsuperans animis, non degener hæres.
Lævam aciem longâ belli Demetrius * arte
Conspicuus ductat; generoso stemmate Princeps,
Clarior at gestis, ferróque, auróque coruscus
Emicat ante alios, & pugnæ fervidus instat.
Præcipuum, mediúmq; agmen Sobieskius † alto
Ipse movet sublimis equo, cunctósque superstat
Imperióque, armisque, & Majestatis honore,
Inspirátque suis spem lætam, animíque vigorem
Insolitum, vibrans oculis ardentibus ignes.
Hoc habitu, vultúque olim, dum bella petebat
Incessisse suum jactavit fabula mendax
Gradivum, latéque metum sparsisse per orbem.
Francigenûm sic grande decus, Godofredus adibat
Prælia, dum Solimæ ad muros premit agmina, turpi
Versa fugâ, infandæ Gentis, cœlóque rebellis.
Sic & tu, belli fulmen, terrórque Getarum,
Scanderberge, feri dura in certamina Martis
Irruere, & Scythici turmas contra ire Tyranni,
Terribilémque rotans gladium, mactare solebas
Seu plano in campo, aut obsessæ ad mœnia Croïæ.
Ærea jámque adeò pugnæ dant undique signum
Cornua, & expansa fluitant vexilla per auras,
Cymbaláque, & raucò resonant cava tympana pulsu.
Arma parant Turcæ; quos frustra educere castris
Tentatum; tuto stat se defendere cinctu
Fossarum, atque arcere hostes jaculisq; sarissis-que,
Ac tormentorum tonitrúque & fulmine crebro.

* Princeps Demetrius, minor Regni Polemarchus sinistrum cornu;
† Medium, ipse Sobieskius regebat.

Ceu

Ceu cùm annosus aper venantûm cornua longè,
Atque molossorum latratus audijt aure
Arrectâ intentus, séque obsessum undique cernit,
Nec potis est tentare fugam; tum mole suâ stat,
Fulmineósque acuens dentes, se continet intra
Condensi nemoris vepreta, hostíque minatur
Exitium, propiùs si fors accedere tentat.
Quâ spectant Austrum tentoria fixa Getarum,
Kinskius * ingenio præstans ac robore dextræ,
Bellica qui tormenta regit, valido impete valli
Claustra quatit, reserátque viam, quâ tendere miles,
Assultúm-ve queat moliri, & rumpere septa.
Huc lectas peditum turmas Sobieskius ardens
Immittit, quas fortis eques sustentat, & acri
Irruere ipse etiam nisu per devia quærit.
Fit via vi, primùm fossas, atque ardua valli
Exsuperant, vellúntque obices; hortator adurget
Dux forti simul exemplo, verbisque, nec ullâ
Parte deest, quâcunque hostis numerosior instat.
Sarmata bis pulsus, bis celsa repagula scandit;
Cedere jámque tamen, gressúmque referre parabat,
Cùm justâ ardescens irâ, justóque dolore,
Desilûit Sobieskus equo, dextrâque pavendum
Attollens gladium: Nunc, nunc me quisq; sequatur
Quô Christus vocat, & Patria. Aut super aggere cæsus
Hostili occumbam, aut victor mactabo Gelonos;
Vtraque sors placet ex æquo. Nec plura loquutus,
Irruit, accessum quò plura obstacula fossis,
Aggeribúsque vetant vastis, atque objice densi
Carrorum, queis præcipuè Gens barbara fidit.
Sarmatios novus ardor habet, quos ira, pudórq;
Relligióque, & amor Patriæ, atque illustria facta

* Kinski rei tormentariæ Præfectus.

Exstimulant. Rursum irrumpunt facto agmine, & alto
Confertim vallo insultant, vellúntque, ruúntque
Obvia cuncta, Ducis præclara exempla sequuti.
Fit strages Turcarum ingens; miléfque, ducesq;
Sorte cadunt simili; nec quisquam obsistere contrà
Iam potis est, audét-ve; ita sævit acinace crudo
Ductor; agens turmas dextrâ, lævâque fugaces.
Huic sese adjungunt, fortissima pectora bello,
Ruthenus, Podlacúsque * unà, & Kinskius acer,
Zebroskúsque, & Morstenius; † sua quemq; sequuntur
Agmina, confertósque petunt hinc inde Gelonos.
Nulla mora est; stricto pugnant mucrone phalàges
Cominus, ac pede pes hæret, mixtúsque viro vir.
Ter pulsus miles Geticus, ter prælia magnis
Instaurare animis tentat; ferus instat, & urget
Sarmata; jámque fugâ castris se effundere Turcæ
Præcipiti, quotquot gladium evasêre Poloni
Victoris. Verùm trepidis sese obvius offert,
Ac subito obnitens rursus fugat impete, clarus
Sanguinéque, & factis Korokuskius, § agmina ducés
Posnanûm; cogítque iterum sese abdere vallo.
Sic ubi diversi perturbant æquora venti,
Hinc Auster, Boreas illinc, & viribus undas
Quisque suis connixi, imo de gurgite tollunt,
Impellúntque; acti turbata ad littora fluctus
Spumosi, rapidíque ruunt; mox inde repulsi
Convolvunt rursus sese, retróque feruntur.
Nec minùs Eoo quà castra hostilia Soli,
Occiduó-ve obversa patent, Demetrius illinc,
Atque hinc Ruthenus, divisi Marte, locóque,

* Palatinus Russiæ, & Palatinus Podlaciæ.
† Zebrouski, & Morstein, Tribuni militum.
§ Korokouski Palatinus, Posnaniæ signifer.

Consilio tamen unanimes, ac viribus æqui,
Invasêre Getas, septísque irrumpere certant.
Et jam vi multâ, pugnacísque arte cohortis
Subrûta porta aditum pandit; Zarneskius * illàc
Mox subit, insignis bellator, & obvia quæque
Perrumpens, vastâ bacchatur cæde, suósque
Exemplo Ducis incensos, secum rapit; ardor
Sævit inexpletus pugnæ; jam castra redundant
Sanguine, & horrificâ mactantur strage Geloni.
Parte aliâ, celebris famâque, & sanguine avito
Pakzius † exturbat vallo, cæditque catervas
Turcigenûm; fortem sequitur Littavica pubes
Ductorem, seséque fide commendat, & armis.
Nec tamen hæc omni caruit discrimine pugna,
Aut sine Sarmatico victoria parta cruore est.
Funditur interdum victor, dum Martius ardor
Frigescit, prædæque intentus bellica miles
Deserit imprudens signa, & per castra vagatur.
Hunc ubi palantem cernit Sobieskius, irâ
Infremit; imperióque iterum sub signa coactos
Quósque sua, ingenti rapit in certamina nisu,
Hussinúmque Ducem summum petit. Ille phalange
Defensus validâ, circum Prætoria sese
Munierat, clausúsque alta intra septa tenebat
Efferus, & spirans oculis, atque ore furorem.
Qualis marmaticus frendet leo, & ungue minaci,
Rictúque immani terret, dum indagine densâ
Cingitur, atque isthinc cernit venabula, & illinc,
Venantûmque globum instantem; sese undiq; versat
Turbidus; ac fremitu resonant lustra ima sonoro.

* Czarneski, Præfectus equitum.
† Pakz, Lithuaniæ Polemarchus.

Sarmata, ſed tamē haud quaquā his perterritus Heros
Abſiſtit cœpto; hinc potiùs Mavortius ardor
Igneſcit magis, & flammas ſub pectora mittit
Relligio, Patriæque ſalus, ingénſque cupido
Famæ immortalis. Mora nulla; in prælia præceps
Irruit, & rurſus Turcûm media agmina rumpit,
Fulmineum verſans chalibem. Iámque omnibꝰ ingēs
Pugna recrudeſcit caſtris; volat undíque victor
Lechiades; victúſque fugam circunſpicit àmens
Huſſinus, vallóque datis erumpit habenis,
Ac fluvio impoſtùm pontem petit, agmina ſecum
Sparſa trahēs equitū. Inſequitur Sobieskius, atq; hinc
A tergo fugienti inſtat; fitque obvius illinc
A fronte, antiquo Princeps de ſanguine cretus,
Littavûmque decus Raſivillius. * Illicet ambæ
Concurrunt acies, & magnis viribus unum,
Aſt ingens certè petitur caput. Ille lupus ceu,
Inſtantûm quem turba canum circum undiq; cingit,
Fremit, & trepidat; dat deſperatio vires
Inſolitas; rurſum ille acies inſtaurat in hoſtem.
Sarmatius contrà rapido ruit impete ductor,
Agmine ſtipatus modico; velocior illum
Quippe ferebat equus, necnon in pectore flagrans
Magnanimo, vincendíque ardor, & inclyta virtus.
Hic primùm obſtantes dextrâ, lævâque catervas
Perrumpit, ferróque viam ſibi pandit, & ipſum
Huſſinum tandem aſſequitur; quem Thracius albis
Portat equus fulgens maculis, inſtratus & auro,
Aureáque ore ferox oſtentans fræna ſuperbit.
At ſeſſor pariter gemmiſque, oſtróque ſuperbus
Fertur in adverſum, numero jam fretus, & audax,
Incluſúmque globo premit. Hìc Sobieskius omnes

* Dux Radzevillius, Lithuaniæ Vice-Cancellarius.

Colligit actutum vires, & acinace Turcum
Altè sublato ferit. Ærea tinnijt ictu
Vulnifico galea, & cristæ tremuêre comantes.
Attonitus, titubánsque Scythes, vultúmque cruentus
Hæret vix in equo atque manu ni fida suorum
Accurrens, letho eripiat, confossus arenam
Sanguine turparet, nec se subduceret hosti.
Precipiti tamen ille fugâ se surripit, amni
Quà pons impositus, quâque arx Cocimia tutum
Pandit iter trepido: Turma & simul omnis ad amnem
Cum Duce fusa ruit, quærítque in ponte salutem.
Frustra; námque aditum præcluserat antè Polonus,
Agminéque infesto prohibet Littavicus * Heros,
Effusósque premit Turcas. Cadit obvius ense
Seydius † impacto sub guttura; clauditur udum
Vocis iter, tenuíque sono vix verberat auras
Infelix moriens, nec verba incœpta sequuntur.
Hìc & tu, Solimanne, jaces, Dux optime bello
Turcigenûm; sparsas dum fortè in prælia cogis
Relliquias, ferro te cominus impetit acer
Bellator, tecum congressus, & ilia acutâ
Cuspide transadigit, tenui quà se ima meatu
Laxavit lorica; at tu cum sanguine fundis
Singultantem animam, liventi abjectus arenâ,
Infandúmque luis scelus, & temeraria verba
Christicolas contra, ut fama est, jactata, Deúmque
Christicolûm, quem spurco audes postponere Vati.
Nec minùs interea fugientem ad littora Tyræ
Hussinum insequitur laxis Sobieskus habenis
Fervidus, exanimémque metu dudum premit, & jam

* Princeps Radzevvillius.
† Seydius & Solimannus, Turcorum Præfecti, vulgò Bassa, in acie cæsi sunt.


Promeruit; neu te condigna, tuisque periclis
Præmia, quæ tibi gratus amor nunc destinat, alto
Dedignêre supercilio; licèt edita cœlo
Regalem malit mens promeruisse Coronam,
Quàm sibi delatam, capiti imposuisse superbo.



Atavisque virtus major, affinis polo,
    Divûmque suppar gloriæ;
Curæ sagaces, consilî vis efficax,
    Roburque constans pectoris;
Raróque nexu copulatus invicem,
    Prudens & audax spiritus.
Testatur acri fusus haud pridem impetu
    Hussinus incassùm ferox,
Ille ut suorum cæsa, vel fluvio obruta
    Bis dena vidit millia:
Vix, vixque celeri, manibus elapsus, fugâ
    Gladióque, Sobieski, tuo,
Dixisse fertur reliquijs lugubribus
    Exercitûs tanti modò:
Eheu pudendùm gentis Ottomanæ probrum,
    Fuso eluendum sanguine!
Nostris superbus opibus, & victoriâ
    Tumens triumphat Sarmata;
Magnóque nunc de Vate Christiadûm Deus
    Tropæa victor erigit.
Cœló-ne, an imis Tartari de faucibus
    In damna nostra prodijt
Dux ille, sic & mente pollens, & manu,
    Animæque magnæ prodigus?
Ipsíque frustra mémet objeci, ac meos
    Mecum paratos emori,
Moráſque valli, curruum repagula,
    Et omne telorum genus.
Torrentis instar, monte dum summo ruens
    In plana fertur spumeus;
Vel ceu trisulcus murmure horrifico tonat
    Elisus ignis nubibus:
Munita sic heu! castra Sobieskus furens
    Invasit acri milite;

Latúmque ferro limitem hinc illinc agens,
Immanè quantùm sævijt!
Huic si Poloni fræna moderanda Imperî
Committat aut sors, aut Deus,
Vltro lacesset Thraciam, & victricibus
Tentabit armis Bosphorum.
Ast alia frontem laurea exornat tibi
Dux magne; nec victoria,
Attonitus Orbis quam modò in te suspicit,
Campis adhæsit Dacicis.
Illic Gelonos vincis; hìc victor tuî
Tropæa majora excitas.
Blandum, sed atrox, mentis excelsæ malum,
Amore victum Patriæ
Cessit, Coronæ præpotentis ambitus;
Quod víxque credent posteri,
Regni decus sublime, tot placitum procis,
Conferre mavis alteri,
Cui fama, virtus, stemma regale, & genus,
Et multiplex adorea
Victorijs tot parta, sint suffragij
Non invidenda gloria.
Sic bellicosas fœdere innectis novo
Gentes, Polonam Gallicæ;
Sic & tremendum Thracibus nomen feris
Heroë in inclyto objicis.
Cuicunque regno præstat hæc modestia,
Amórque tantus Patriæ.
Hinc, Magne victor, absque sceptro & purpura
Regnabis, evectus Polo.





POETÆ GALLI,

Cùm primùm audijt Regnum Poloniæ suo in Poëmate prænuntiatum

TVRCARVM VICTORI

IOANI SOBIESKIO,


Eidem legitimis suffragijs delatum;

ENTHVSIASMVS.

QVis vatis aures nuntius appulit
Ter faustus? Alto jam solio sedet
Sublimis, augustúsque sceptro
Sauromatûm, Sobieskus, ultor,
Custósque Regni; Bistonidum agmina
Qui cæsa nuper finibus expulit
Victrice dextrâ, cùm superbus
Turpe solum Ottomanus momordit.
Frustra ille sævus perniciem ultimam
Genti minatur Lechiacæ, & Crucis
(O crimen!) Insigni verendo
Cornua substituisse Lunæ.

Jactat scelestus. Nec mora; vindicem
Sobjeskus ardens stringit acinacem,
Trucésque, castrorum revulsis
Molibus, impetijt phalangas.
Non sic trisulcum, terrifico tonans
Sonore, fulmen nubibus absilit
Ruptis, inaccessósque montes,
Concutit, aëriás-ve turres.
Hussinus amens vix celeri fugâ
Elapsus, alto non sine vulnere,
Illustre victori tropæum, &
Grande decus solij reliquit.
Præsaga dudum concinuit, tubâ
Majore, Clio, Numinis incita
Veracis afflatu; neque error
Ille fuit, placitus Camænis.
Audire amicos murmure gestio
Blando canentes fatidicam Chelyn;
At præstat excepisse plausus,
Inclyte Rex, tibi gratulantûm.
Fas esto Vati, rite faventium
Adesse turmis, possit ut æmulas
Cantare voces, qui relatos
De Geticis cecinit triumphos.





MAGNO SOBIESKIO

IN REGEM POLONIÆ RECENS ELECTO;

POETÆ GALLI,

A quo celebris ejus ad Chocimum de Turcis relata Victoria, heroïco carmine celebrata est, simúlq; præsagita Regalis Purpura;


GRATVLATIO, ET VOTVM.

LECHIACÆ gentis columen, terrórque Getarum,
Cui regale ornat nunc Diadema caput;
Accipe gratantis tibi vectigalia Musæ
Carmina, sincerus quæ modò cûdit amor.
Néve supercilio despectes tenvia grandi
Munera, quæ studium sat pretiosa facit.
Nam Deus exilis non dedignatur acerræ
Thura, modò puro pectus amore flagret.
Nec quòd ab externo veniant tibi carmina Vate,
Mirêre (externus si tibi Francigena est)
Te norunt sedenim sparsæ toto Orbe Camœnæ,
Argumentum ingens queis tua dextra dedit;
Dum conjuratos Patriam disperdere Thracas
Fudisti, incassum quos sua castra tegunt,

Turca ferox quamvìs, numeroso & milite fidens,
Visus præcipiti vertere terga fugâ.
Tu contrà victor, spolijsque potitus opimis,
Munifico exsolvis debita vota Deo.
Quæ si non valui digno describere versu;
Ardua materies exsuperabat opus.
At certè licuit præsagæ hoc dicere Musæ,
Quod potis est meritis reddere gratus amor.
Nil habuit majus Solio & Diademate; tanti
Nil meruêre minus ménsque, manúsq; Ducis.
Servasti Patriam, tibi jam se reddita donat
Patria, ut invictâ sit stabilita manu.
Purpura te, sceptrúmque decent, heroïca virtus
Quem sublimem effert, par generíque decus.
Purpura si Regem decorat, decus ipsa vicissim
Accipit, & par est munus utrinque datum.
Purpura splendorem, soliúmque affundit eburnum;
Martia dextra throni quàm bene fulcit ebur!
Sed tibi delatæ concordi mente Coronæ
Gloria, Sobjeski, non tibi tota manet.
Partem aliquam arripiunt, pro te qui vota tulêre
Armatique Duces, pacificíque Patres.
Iustitiâ præstant, meritis qui justa rependunt
Præmia, queis virtus omnibus una placet.
His Patriæque salus cordi est, & gloria, Regem
Qui tantum Patriæ, præficiúntque sibi.
Sarmata quem colat, & mixto veneretur amore,
Ceu patrem, ac cæsusquem modò Turca tremat.
Sarmaticis Europa tuis suffragia jungit,
Majorem tanto munere téque canit.
Galliáque ante alias gentes, tibi fœdere nexa
Multiplici, Heroüm Gallia semper amans.
Regali sponsam dudum sociasse marito
Gestit, & inde novum splendet utrique decus.

Ipsa tibi dignam misit Diademate Sponsam ;
    Condignum Sponsæ Tu Diadema paras.
Fœdere perpetuo sic Gallica vincta Polonæ
    Gens erit, & laudis crescet utrinque nitor.
Gallia Reginas Aulæ misisse Polonûm
    Si potis est, Reges protinus ipsa dabit.
Vos ô felices tanto nunc Rege, Poloni,
    Ad solium evexit quem generosa manus.
Sideribus quem fama æquat, pietásque, fidésque,
    Innocuus candor, consiliúmque sagax.
Hoc duce Sauromatas junget concordia felix ;
    Hoc duce Bistonidas Sarmata victor aget.
Hujus & auspicijs mox aurea sæcla redibunt,
    Pax & Amor, priscâ cum Pietate Fides.
Id mihi Cœlicolæ spondent, atque inclyta virtus
    Sobjeski ; votis id mea Musa petit.
Atque utinam sicut cecinit præsaga Coronam,
    Quæ tibi nunc cingit, Rex animose, caput.
Sic quæcunque modò portendit fausta, Coronæ
    Eveniant ; voti summa sit ista mei.





RECENTIS POLONORUM REGINÆ,

CONDIGNÆ AUGUSTISSIMI HEROIS

SOBIESKII SPONSÆ,

EX NOBILISSIMA ARQUINIORUM Familiâ, in Galliâ oriundæ,

ENCOMIUM.

O Quas sortis amabilis
Audimus, serie mirificâ vices!
En claro Diademate
Præfulget soboles inclyta * Montinî,
Quem Mavortis adorea
Pridem conspicuum Francigenis dedit.

* Maria-Ludovica Arquinia, Polemarchi, vulgò Marescalli, Montinij neptis.

Virgo dum teneris adhuc
Annis, purpureo flore nitens genas,
Et candore ligustrino,
Mentis quem superat, rite latens, nitor,
Augustæ comes addita
Reginæ, * patrium desereret solum,
Fausto non sine Numine;
Fertur Nympha, chori Sequanici decus,
Æstu fatidico incita,
Hos fûdisse sonos, Sequana quos parens
Lætis auribus excipit:
Prô nunc quanta meæ gloria Galliæ
Surgit fœdere Sarmatûm!
O quæ juncta comes Virgo beatior
Reginæ latus obtinet!
Quæ lux sic radians lumina verberat,
Regali Diademate
Cingens frontis ebur! Non vigilem sopor
Vanâ ludit imagine;
Nec, qui nunc agitat spiritus entheum
Pectus, falsiloquum facit.
Reginam hinc geminam, credite Sarmatæ,
Vobis Gallia destinat,
Quæ virtute pari condecorent Thronum.
Felix ô nimis, Arquia
Proles, Sarmatij fœdere Conjugis!
Hunc bello manus ardua, &
Par virtus Atavis ad solium efferent;
Tu formæ illecebris virum,
Tu castis capies artibus ingenî,

* Eadem inter Puellas honorarias Reginæ Mariæ-Ludovicæ Mantuanæ, in Poloniam abducta est.

Dotalique modestiâ;
    Sponso digna, tibi qui solium paret.
Nam Tu regificum decus
    Virtute exsuperans, lumine Purpuram
Ornabis pretiosiùs,
    Quàm te purpureus condecoret nitor.
Ergo Lechiaci vale
    Regni delicium, gloria Galliæ;
Antiquúmque genus novis
    Illustrans radijs, astra super vehas.





IMITATION DE L'ODE PRECEDENTE,

A LA LOÜANGE

DE LA NOUVELLE REYNE

DE POLOGNE.

PEUPLES écoutez ces merveilles,
Apprenez cet aimable Sort,
Qui vient de charmer nos oreilles,
Qui nous ravit d'un doux transport!
L'Heroïne Françoise est dans l'honneur supreme,
Son front brille à present de l'or du Diademe,
La Pologne l'éleve à ce sublime rang;
Montigny ce foudre de guerre
Luy communique son beau sang,
Et sa Niéce le porte au dessus de la terre.




Lors qu'en ses plus tendres années
Egalant la blancheur des lys,
Et par d'heureuses destinées
Y mêlant le feu des rubis;
La pudeur & l'amour regnent dans sa belle ame;
Elle répand par tout une innocente flâme,
D'une nouvelle Reyne elle est Fille d'honneur;
Et quittant sa chere Patrie,
Par un presage de bonheur,
Dans un autre climat elle se voit ravie.



Noble d'Arquien, trois fois heureuse ;
Que ton destin est glorieux !
De l'Hymen la flâme amoureuse
S'en va t'élever jusqu'aux Cieux :
D'un Heros fortuné la vertu triomphante,
Aprés l'avoir orné d'une gloire éclatante
Le placera bien-tôt sur un Trône pompeux ;
Et luy par l'attrait de tes charmes
Sentant de purs & de beaux feux,
A ta chaste beauté fera ceder ses armes.



Cette incomparable victoire
Sur le plus fameux des Guerriers,
Me paroît digne d'une gloire
Qui surpasse tous les Lauriers :
Le Trône ne peut estre au dessus d'un merite
Qui de tous les devoirs si noblement s'aquite ;
Si le Bandeau royal des vertus est le prix,
Il en reçoit un nouveau lustre,
Qui charme bien plus les esprits,
Que n'éblouït les yeux l'éclat le plus illustre.



Adieu donc ma chere Heroïne,
Les delices des Polonois,
L'objet d'une flâme divine,
Bel ornement du nom François :
Quittez sans nul regret ce sejour quoy qu'aimable.
L'on vous prepare ailleurs un Sort plus favorable.
Aggréez du destin les immuables loix ;
Allez des Nymphes la plus belle,
Montant sur le Trône des Roys,
Ornez vôtre beau sang d'une gloire immortelle.



POVR MONSEIGNEVR
L'EVEQVE DE MARSEILLE,

Nommé au Chapeau par le Roy de Pologne, pour avoir extremément contribué à son election,

DEVISE.

VN LAVRIER.

ET SOLI ET MARTI.

A MARS COMME AV SOLEIL.

D'UNE Tige feconde en Rameaux glorieux,
Sous l'aspect bien faisant d'un Soleil favorable,*
Ce Laurier, aux hyvers toûjours inviolable,
Au fond même du Nord s'éleve jusqu'aux Cieux.
C'est l'honneur des Autels du Dieu de la lumiere;
Mars † l'aime, il fait le prix de la vertu guerriere.
Le plus grand des Heros il vient de couronner;
Ce nouveau Roy le rend Eminent dans sa Terre
C'est qu'il prévoit, qu'enfin, il en va détourner
Par sa rare vertu desormais le tonnerre.

* On fait allusion au Symbole du Roy, qui est un Soleil.
† Mars represente le Roy de Pologne, à cause de sa Valeur, & de ses Victoires.



ILLUSTRISSIMO MASSILIENSIUM EPISCOPO,

CUI SERENISSIMUS POLONIÆ REX, ob egregiam suâ in electione præstitam operam, Cardinalitiæ purpuræ decus destinavit;

SYMBOLUM.


LAURUS.


LEMMA.

ET SOLI, ET MARTI.

QUÆ sylvam illustrem fœcundo è stipite trudit
Laurus, benigno Solis icta lumine,
Brumarum victrix, gelidâque illæsa sub Arcto,
Vivax ad astra tollit altum verticem.
Hæc eadem Phœbi templúmque exornat, & aras,
Placitâque Marti fronde victores beat.
Augustâ postquam insignît Heroa coronâ,
Huic reddit Heros Eminens fastigium;
Virtutis námque eximiæ non inscius, inde
Sperat trisulco fulmini intactum caput.

Ex Gallico Abbatis de Brianville.





EIDEM

ILLVSTRISSIMO MASSILIENSIVM EPISCOPO;

REGIS CHRISTIANISSIMI

APVD SERENISSIMVM

POLONIÆ REGEM

RECENS ELECTVM LEGATO

EXTRAORDINARIO;


CARMEN GRATVLATORIVM.

TE quoque Lechiacis liceat miſcere tropæis,
Antiſtes, partémque tibi ſervare triumphi,
Quem de Turcigenis retulit Mavortius Heros,
Sarmatico inſignis ſceptro, Laurúque recenti.
Iſte truces domuit felici Marte Gelonos,
Et ſpolia ampla ferens, meruit virtute coronam
Belligerâ; Túque ingenio, & victrice Suadâ,
Diſcordes animos, Patriæ communis amore
Devinctos, blandæ religaſti fœdere pacis.

Diſtractus

Distractus studio ancipiti, dudum anxius hæret
Lechiades, Patriam externo committere Regi,
An Civi magis expediat; verùm omnibus unum
Sobjeskum anteferant suades; quem Turca, Scythésq;
Iam toties cæsi paveant, quem Sarmata Patrem
Ceu Patriæ, ac civem, misto veneretur amore;
Quem genus, atque Atavi, insignes victricibus armis,
Artibus & pacis clari, vel sanguine fuso
Defensam ob Patriam, illustrent; quem bellica virtus,
Vísque invicta animi, & rerum prudentia solers,
Morum impollutus candor, pietásque, fidésque,
Et come ingenium, Majestas frontis & oris,
Ac species digna imperio, atque illustria facta
Mortales supra extollant, meritísque coronent.
Gloria Sarmatiæ, populorum adnexa saluti,
Postulat hunc Regem. Externo cur serviat, usque
Heroüm fœcunda Parens? Tua dicta faventi
Murmuréque, & plausu mox excepêre Poloni
(Nec mirum) Proceres, fido queis consulis ore.
Ilicet hunc Regem dicunt Populúsque, Patrésque
Vnanimi: Regnétque, aïunt, ille inclytus Heros,
Gallia cui votis favet, ac suffragia virtus
Adjungit; Rex ille placet, qui sceptra meretur,
Francigenûmque Heroa refert victricibus ausis.
Facundæ, Magne Antistes, victoria linguæ,
Hæc, quæ Regali Sobieskum Murice vestît,
Frendente incassum invidiâ, tibi destinat Ostrum
Regifico suppar splendori. Hoc inclyta virtus,
Quæ sacro valuit frontem redimire Tiarâ;
Hoc genus, atque altâ deductum ab origine nomen,
Corporis atque animi dotes, vel Principe dignæ,
Promeruêre tibi dudum, quod grata, poténsque
Augusti satagit Regis redhibere voluntas.
Pro te dum magni jungunt suffragia Reges,

Queis virtus placet una, & queis fallacia fucum
Nulla facit; gemino Murex fulgore coruſcus
Ornamentum ingens deinceps virtutibus addet,
Antiſtes generoſe, tuis, noménque decore
Auctum immortali, ſummum ſuper æthera tollet.





GALLIA VICTRIX,

CONFŒDERATÆ POLONIÆ

REGEM NOVIS CONSPICUUM Victorijs iteratò gratulatur.


ELEGIA.

HEroüm generoſa Parens, mihi fœdere juncta
   Antiquo; titulis conſociata novis;
Quæ fido exultans nuper tibi pectore fûdi,
   Gratanti calamo nunc iterare lubet.
Ad ſolium evexti Regem, quem plurima virtus
   Ornat, & auguſto culmine digna nitet.
Palmarúmne decus memorem, celebréſq; triumphos?
   Terrificúmne enſem? munificámne manum?
An raro nexu vinctos, Fortémque, Piúmque?
   Hoſtibus hinc terror; Civibus hinc & amor.
Teſtantur Getici modò Regni limite pulſi;
   Teſtantur profugis agminibúſque Scythæ.
Sobjeſki nomen pro telis omnibus unum eſt;
   Hôc perculſus Arabs; hôc Scytha victus abît.
Hoc tu formidas animo, Coſace, rebelli;
   Téque lubens ſacros abjicis ante pedes.
At dubium, terrór-ne mage, an clementia Regis
   Compulerit refugos ſub tua jura duces.

Victori dedunt se urbes, portásque recludunt
    Certatim; has subigit mixtus amore timor.
Turcigenæ posito dicuntur mitia fastu
    Consilia, & pacis fœdera velle sequi.
Hæc tibi tam fausti primordia splendida regni
    Gratulor; hinc felix auguriúmque traho.
Aurea cœlestes spondent tibi sæcula Divi,
    Sit modò concessi Sarmata Regis amans.
Námque hic, ne dubita, Rex donũ est Numinis ingẽs;
    Nílque bono cœlum Principe majus habet.
Astra mihi votis talem exorata dedêre
    Iamdudùm; decus hinc, & mihi parta salus.
Fortior haud illo quisquam, neque mitior illo est;
    Majestásque, & amor jus sociale tenent.
Debeo Bellaci prolatos undique fines;
    Artes Pacifico, Iustitiæque decus.
Fama tuas pridem, credo, pervênit ad aures,
    Struxerit ut cladem gens inimica mihi.
In me jurati Teutóque, Batavus, Ibérque;
    Austriadésque Aquilæ, Belgicus atque Leo.
Teutò, Batavus, Iber cessit victricibus armis;
    Cæsæ Aquilæ trepidant, cæsus & usque Leo.
Sequanica accessit Francûm Provincia juri;
    Iámque Vesontinis arcibus imperito.
Dola ferox quondam, sua propugnacula rursus
    Liligeri Regis subruta Marte gemit.
Si tamen huic luctûs, justíque est causa doloris,
    Antiqui Domini succubuisse manu.
Hanc, sociásque decet tanto gestire beatas
    Principe, cui Pietas militat, atque Themis.
Cui faciles junxêre simul suffragia Divi,
    Dum Palmis Palmas accumulare datur.
Id signant vexilla meis fluitantia templis,
    Hostibus è victis quæ retulêre Duces.

Id signat miléſque meis captivus in arvis,
Et ſpolijs currus, divitijſque graves.
Quóſque meis fortè induxit ſpes improba prædæ
Finibus, hi turpi terga dedêre fugâ.
At neque ſic cunctis licuit quæſiſſe ſalutem,
Cæſa ſed in campis millia multa jacent.
Sunt qui, dum flammas alienis ædibus arcent,
Incauti proprias deſeruêre domos.
Gallica Sarmaticis liceat miſcere tropæis;
Palmáque conſociet, quas bene vinxit amor.
Ipſa quidem exſilio, tibi ſeu ceſsêre Geloni;
Seu cogis trepidos vertere terga Scythas.
Subjectíve ultro veniam petiêre rebelles;
Aut quicquid fauſti nuntia fama tulit.
Te quoque non dubitem plauſu geſtire faventi,
Proſpera ſors Francis quæ modò cunque cadat.
Regibus invictis mens eſt nunc una duobus;
Martia vis ambos jungit, & alma Fides.
Hos virtus meliùs, quàm fratres vinxit origo
Sanguinis; hinc populos vis & amica ligat.
Ex quo præſertim ſolio ſublimis in alto
Sobjeſkî, orta meo ſanguine, Sponſa ſedet.
Tali digna Viro Conjux, & culmine tanto;
Quam pariter pietas, nobilitátque genus.
Hâc tibi ſi Superi poſthàc ab origine Reges
Donarint, meritis te ſuper aſtra vehent.
Nil modò, quod voveam, melius ſincera voluntas
Exhibet; hoc ſancti pignus amoris habe.





AVGVSTISSIMO POLONORVM REGI,

IOANNI SOBIESKIO,

NUPERA IN EXPEDITIONE

DE TVRCIS, TARTARIS, ET SVBDITIS rebellibus, absque pugnâ fere & sanguine, partim terrore nominis, partim clementiâ, triumphanti,

SYMBOLVM HEROICVM:

Ensis acie praeacutâ, capulo gemmis distincto, fulgens.

LEMMA.

ALLICIT, ET TERRET.

SIc est, Magne Heros, nostri mirabile sæcli
Prodigiúmq; & amor; nam Te confluxit in unum,
Subjectos quicquid populos Tibi legibus æquis
Devincire queat, vel perterrere rebelles,
Lechiadúmve hostes meritâ percellere clade.
Terrificum experti pridem Moschúsq; Scythésque
Fœdifragi; hinc tibi Palmarum, Rex inclyte, crevit
Ampla seges, dignúmque Atavis memorabile nomen.
Nec minùs invictum nuper sensêre Geloni,
Quos non fossa ingens, & inexsuperabile vallum,

Non & flammivomo tormenta tonantia nimbo
Tutari valido assultu potuêre Poloni,
Exemplo quem Dux ingenti accendit in arma.
Hinc ad sceptra viã illustrem tibi, MAXIME PRINCEPS,
Stravisti; hinc solium merito, & virtute paratum
Sustentas victrice manu; jámque approbat Orbis,
Quod nuper sanxêre Duces, Patrésque Togati.
Martia Sauromatûm soboles, assueta triumphis,
Hunc sibi poscebat Regem, qui pellere Regni
Limitibus Thracas posset, Scythicósque Tyrannos;
Qui magno dudum avulsas â corpore Gentes
Fœderéque Odrysio tumidas, submittere miti
Imperio, & forti norit; quem bellica virtus
Sublimem cœlo, & lenis clementia tollat.
Regali decus hinc majus Diademate surgit;
Gloria Sobjeskò par est, nil usque favori
Debeat; hunc cœlum, & virtus hunc una coronet.
Id Scytha, dum refugo præceps ruit agmine, jamnũc
Testatur. Pavidas rumor vix vênit ad aures,
Instructâ Regémque acie, & Mavortia signa
Sauromatûm properare; timor per castra vagatur
Barbarica, horrificóque implet dein cuncta tumultu.
Vna salus trepidis, sese subducere dextræ
Sobjeskî, notæ pridem, & victricibus ausis.
Ergo fugâ turpi, abjectísque inglorius armis,
Hostis inaccessos montes, atque invia captat
Lustra viris, dum se gladio, manibúsque Poloni
Surripiat, patriâque amens consederit orâ.
Qualis ubi timidas premit, imbellésque columbas
Concitus accipiter subito, rapidóque volatu;
Illæ se rapiunt celeres, placidóque recessu
Tutæ, ungues fugitant, & acuti spicula rostri.
Nominis ille tui terror, Rex Maxime, & altæ
Mentis consilium, & dextræ insuperabile robur,



POUR MONSEIGNEUR
L'EVEQUE DE MARSEILLE,

Nommé au Chapeau par le Roy de Pologne, pour avoir extremément contribué à son election,

DEVISE.

UN LAURIER.

ET SOLI ET MARTI.

A MARS COMME AU SOLEIL.

D'UNE Tige feconde en Rameaux glorieux,
Sous l'aspect bien faisant d'un Soleil favorable,*
Ce Laurier, aux hyvers toûjours inviolable,
Au fond même du Nord s'éleve jusqu'aux Cieux.
C'est l'honneur des Autels du Dieu de la lumiere;
Mars† l'aime, il fait le prix de la vertu guerriere.
Le plus grand des Heros il vient de couronner;
Ce nouveau Roy le rend Eminent dans sa Terre
C'est qu'il prévoit, qu'enfin, il en va détourner
Par sa rare vertu desormais le tonnerre.

* On fait allusion au Symbole du Roy, qui est un Soleil.
† Mars represente le Roy de Pologne, à cause de sa Valeur, & de ses Victoires.



ILLUSTRISSIMO MASSILIENSIUM EPISCOPO,

CUI SERENISSIMUS POLONIÆ REX, ob egregiam suâ in electione præstitam operam, Cardinalitiæ purpuræ decus destinavit;

SYMBOLUM.

LAURUS.


LEMMA.

ET SOLI, ET MARTI.

QUÆ sylvam illustrem fœcundo è stipite trudit
Laurus, benigno Solis icta lumine,
Brumarum victrix, gelidâque illæsa sub Arcto,
Vivax ad astra tollit altum verticem.
Hæc eadem Phœbi templúmque exornat, & aras,
Placitâque Marti fronde victores beat.
Augustâ postquam insignit Heroa coronâ,
Huic reddit Heros Eminens fastigium;
Virtutis námque eximiæ non inscius, inde
Speiat trisulco fulmini intactum caput.

Ex Gallico Abbatis de Brianville.





EIDEM

ILLVSTRISSIMO MASSILIENSIVM EPISCOPO;

REGIS CHRISTIANISSIMI

APVD SERENISSIMVM

POLONIÆ REGEM

RECENS ELECTVM LEGATO

EXTRAORDINARIO;

CARMEN GRATVLATORIVM.

TE quoque Lechiacis liceat miſcere tropæis,
Antiſtes, partémque tibi ſervare triumphi,
Quem de Turcigenis retulit Mavortius Heros,
Sarmatico inſignis ſceptro, Laurúque recenti.
Iſte truces domuit felici Marte Gelonos,
Et ſpolia ampla ferens, meruit virtute coronam
Belligerâ; Túque ingenio, & victrice Suadâ,
Diſcordes animos, Patriæ communis amore
Devinctos, blandæ religaſti fœdere pacis.

Diſtractus

Diſtractus ſtudio ancipiti, dudum anxius hæret
Lechiades, Patriam externo committere Regi,
An Civi magis expediat; verùm omnibus unum
Sobjeſkum anteferant ſuades; quem Turca, Scythéſq;
Iam toties cæſi paveant, quem Sarmata Patrem
Ceu Patriæ, ac civem, miſto veneretur amore;
Quem genus, atque Atavi, inſignes victricibus armis,
Artibus & pacis clari, vel ſanguine fuſo
Defenſam ob Patriam, illuſtrent; quem bellica virtus,
Víſque invicta animi, & rerum prudentia ſolers,
Morum impollutus candor, pietáſque, fidéſque,
Et come ingenium, Majeſtas frontis & oris,
Ac ſpecies digna imperio, atque illuſtria facta
Mortáles ſupra extollant, meritíſque coronent.
Gloria Sarmatiæ, populorum adnexa ſaluti,
Poſtulat hunc Regem. Externo cur ſerviat, uſque
Heroüm fœcunda Parens? Tua dicta faventi
Murmuréque, & plauſu mox excepêre Poloni
(Nec mirum) Proceres, fido queis conſulis ore.
Ilicet hunc Regem dicunt Populúſque, Patréſque
Vnanimi: Regnétque, aiunt, ille inclytus Heros,
Gallia cui votis favet, ac ſuffragia virtus
Adjungit; Rex ille placet, qui ſceptra meretur,
Francigenûmque Heroa refert victricibus auſis.
Facundæ, Magne Antiſtes, victoria linguæ,
Hæc, quæ Regali Sobieſkum Murice veſtît,
Frendente incaſſum invidiâ, tibi deſtinat Oſtrum
Regifico ſuppar ſplendori. Hoc inclyta virtus,
Quæ ſacro valuit frontem redimire Tiarâ;
Hoc genus, atque altâ deductum ab origine nomen,
Corporis atque animi dotes, vel Principe dignæ,
Promeruêre tibi dudum, quod grata, poténſque
Auguſti ſatagit Regis redhibere voluntas.
Pro te dum magni jungunt ſuffragia Reges,

Queis virtus placet una, & queis fallacia fucum
Nulla facit; gemino Murex fulgore coruscus
Ornamentum ingens deinceps virtutibus addet,
Antistes generose, tuis, noménque decore
Auctum immortali, summum super æthera tollet.





GALLIA VICTRIX,

CONFŒDERATÆ POLONIÆ

REGEM NOVIS CONSPICUUM *Victorijs iteratò gratulatur.*

ELEGIA.

HEroüm generosa Parens, mihi fœdere juncta
　Antiquo; titulis consociata novis;
Quæ fido exultans nuper tibi pectore fûdi,
　Gratanti calamo nunc iterare lubet.
Ad solium evexti Regem, quem plurima virtus
　Ornat, & augusto culmine digna nitet.
Palmarúmne decus memorem, celebrésq; triumphos?
　Terrificúmne ensem ?munificámne manum?
An raro nexu vinctos, Fortémque, Piúmque?
　Hostibus hinc terror; Civibus hinc & amor.
Testantur Getici modò Regni limite pulsi;
　Testantur profugis agminibúsque Scythæ.
Sobjeski nomen pro telis omnibus unum est;
　Hôc perculsus Arabs; hôc Scytha victus abît.
Hoc tu formidas animo, Cosace, rebelli;
　Téque lubens sacros abjicis ante pedes.
At dubium, terrór-ne mage, an clementia Regis
　Compulerit refugos sub tua jura duces.

Victori dedunt se urbes, portásque recludunt
Certatim; has subigit mixtus amore timor.
Turcigenæ posito dicuntur mitia fastu
Consilia, & pacis fœdera velle sequi.
Hæc tibi tam fausti primordia splendida regni
Gratulor; hinc felix auguriúmque traho.
Aurea cœlestes spondent tibi sæcula Divi,
Sit modò concessi Sarmata Regis amans.
Námque hic, ne dubita, Rex donũ est numinis ingẽs;
Nílque bono cœlum Principe majus habet.
Astra mihi votis talem exorata dedêre
Iamdudùm; decus hinc, & mihi parta salus.
Fortior haud illo quisquam, neque mitior illo est;
Majestásque, & amor jus sociale tenent.
Debeo Bellaci prolatos undique fines;
Artes Pacifico, Iustitiæque decus.
Fama tuas pridem, credo, pervênit ad aures,
Struxerit ut cladem gens inimica mihi.
In me jurati Teutóque, Batavus, Ibérque;
Austriadésque Aquilæ, Belgicus atque Leo.
Teuto, Batavus, Iber cessit victricibus armis;
Cæsæ Aquilæ trepidant, cæsus & usque Leo.
Sequanica accessit Francûm Provincia juri;
Iámque Vesontinis arcibus imperito.
Dola ferox quondam, sua propugnacula rursus
Liligeri Regis subruta Marte gemit.
Si tamen huic luctûs, justíque est causa doloris,
Antiqui Domini succubuisse manu.
Hanc, sociásque decet tanto gestire beatas
Principe, cui Pietas militat, atque Themis.
Cui faciles junxêre simul suffragia Divi,
Dum Palmis Palmas accumulare datur.
Id signant vexilla meis fluitantia templis,
Hostibus è victis quæ retulêre Duces.

Id signat milésque meis captivus in arvis,
Et spolijs currus, divitijsque graves.
Quósque meis fortè induxit spes improba prædæ
Finibus, hi turpi terga dedêre fugâ.
At neque sic cunctis licuit quæsisse salutem,
Cæsa sed in campis millia multa jacent.
Sunt qui, dum flammas alienis ædibus arcent,
Incauti proprias deseruêre domos.
Gallica Sarmaticis liceat miscere tropæis;
Palmáque consociet, quas bene vinxit amor.
Ipsa quidem exsilio, tibi seu cessêre Geloni;
Seu cogis trepidos vertere terga Scythas.
Subjectíve ultro veniam petiêre rebelles;
Aut quicquid fausti nuntia fama tulit.
Te quoque non dubitem plausu gestire faventi,
Prospera sors Francis quæ modò cunque cadat.
Regibus invictis mens est nunc una duobus;
Martia vis ambos jungit, & alma Fides.
Hos virtus meliùs, quàm fratres vinxit origo
Sanguinis; hinc populos vis & amica ligat.
Ex quo præsertim solio sublimis in alto
Sobjeskî, orta meo sanguine, Sponsa sedet.
Tali digna Viro Conjux, & culmine tanto;
Quam pariter pietas, nobilitátque genus.
Hâc tibi si Superi posthàc ab origine Reges
Donarint, meritis te super astra vehent.
Nil modò, quod voveam, melius sincera voluntas
Exhibet; hoc sancti pignus amoris habe.



Non & flammivomo tormenta tonantia nimbo
Tutari valido-assultu potuêre Poloni,
Exemplo quem Dux ingenti accendit in arma.
Hinc ad sceptra viâ illustrem tibi, MAXIME PRINCEPS,
Stravisti; hinc solium merito, & virtute paratum
Sustentas victrice manu; jámque approbat Orbis,
Quod nuper sanxêre Duces, Patrésque Togati.
Martia Sauromatûm soboles, assueta triumphis,
Hunc sibi poscebat Regem, qui pellere Regni
Limitibus Thracas posset, Scythicósque Tyrannos;
Qui magno dudum avulsas â corpore Gentes
Fœderéque Odrysio tumidas, submittere miti
Imperio, & forti norit; quem bellica virtus
Sublimem cœlo, & lenis clementia tollat.
Regali decus hinc majus Diademate surgit;
Gloria Sobjeskò par est, nil usque favori
Debeat; hunc cœlum, & virtus hunc una coronet.
Id Scytha, dum refugo præceps ruit agmine, jamnũc
Testatur. Pavidas rumor vix vênit ad aures,
Instructâ Regémque acie, & Mavortia signa
Sauromatûm properare; timor per castra vagatur
Barbarica, horrificóque implet dein cuncta tumultu.
Vna salus trepidis, sese subducere dextræ
Sobjeski, notæ pridem, & victricibus ausis.
Ergo fugâ turpi, abjectísque inglorius armis,
Hostis inaccessos montes, atque invia captat
Lustra viris, dum se gladio, manibúsque Poloni
Surripiat, patriâque amens consederit orâ.
Qualis ubi timidas premit, imbellésque columbas
Concitus accipiter subito, rapidóque volatu;
Illæ se rapiunt celeres, placidóque recessu
Tutæ, ungues fugitant, & acuti spicula rostri.
Nominis ille tui terror, Rex Maxime, & altæ
Mentis consilium, & dextræ insuperabile robur,

INDICVLVS
GALLIÆ VICTRICIS.

INDICVLVS POLONIÆ

DE TVRCIS TRIVMPHANTIS,